DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE DIGNITATE REGIMINIS...

Joan Huber



15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
DIGNITATE REGIMINIS DIAETETICI IN CURANDIS MORBIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Nep. Huber,
Vindobonensis.

In Theses adnexas disputabitur in Aedibus Universitatis
die 3 Decembris 1831.

VIENNAE,
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

A regimine diaetetico plus exspectandum, quam a remediis, quibus nisi debita vivendi ratio accesserit, sanitas vix obtinebitur.

P. Frank. Epit. Lib. VII.

PIIS MANIBUS

PRAESTANTISSIMI DOMINI

JOSEPHI RÖHRIG,

MED. DOCT. INCLYTAE FACULTATIS MED. MEMBRO AESTIMATISSIMO, ARCHIATRO QUONDAM ARCHIDUC. MARIAE BEATRICIS.

482

VIRI.

SCIENTIA . PROBITATE . ET . HUMANITATE.

EXCELLENTIS

IN SUMMAE AESTIMATIONIS ET AMORIS

MONUMENTUM

GRATISSIMUS AUCTOR

PROOEMIUM.

Praestitis iis, quae quisque Medicinae Laurea ornandus praestare debet, ultimum tandem, quod lex jubet, aggredienti, plura et certe medici attentione summe digna themata ante oculos versabantur, in quorum elaboratione in quantum licet facultates et diligentiam exercere potuisset. Attamen, ut plurimum fieri solet, intentionibus magnis vires adhucdum impares inventae sunt, cui et desiderium a quolibet experto facile excusandum se adsociavit ad metam tam exoptatam tempore brevissimo accedendi. Singularis, qua semper tenebar, in regimen diaeteticum fiducia, simulque id, quod quamvis ex paucis his pagellis neque novum, neque insolitum splendorem in rem diaeteticam diffundi posse, persuasus sim, tamen et pauca et reiterata de hac re verba nunquam superflua esse credam, me invitarunt quaedam de hujus dignitate in curandis hominum malis hic proponere. Opus sub

his circumstantiis editum strenuum judicis adspectum non ferre, neminis fugiet intellectum, quod tamen vota auctoris explebit, si ipsi licebit, illud, qua grati animi pignus omnibus offerre, quorum benevolentia, favore et amicitia ad praesens usque tempus gavisus est et adhuc in futuris gaudebit. Simul occasione usus est, reverentiam et gratum animum erga Virum palam facere, de cujus morte praematura perenni moerore adficietur, et adficientur omnes, qui ipsum noverunt.

Auctor.

I.

Omnis vita organica, quatenus sensibus adparet, ex conflictu vitae internae cum rebus externis emergit, atque omnis vitae ratio ab hujus conflictus ratione magnopere dependet. Quamdiu res externae tale cum organismo commercium ingrediuntur, ut vita eam normam sequatur, quae ipsi naturae legibus sancita est, tam diu potentiae conservantes, seu diaeteticae dicuntur; quam primum vero et quoad quantitatem et qualitatem peccant ita, ut vita a norma aberret, potentiae nocentes nuncupantur. Vita a norma deducta morbo laborat, et proprio marte se in integrum restituere studet; ad hoc opus autem perficiendum requiritur, tum talis permutatio potentiarum ad ejus conservationem antea necessariarum, ut praesenti vitae et organismi statui respondeant: tum auxilium novarum et inconsuetarum potentiarum, quae vitae ad normam reductionem vel viribus addendo vel subtrahendo vel substratum organicum vario modo permutando, adjuvant. Dum potentiae conservantes ita moderantur, ut vita certam ad eas rationem ingressa, normam sequatur, atque futura in morbum aberratio praecaveatur, instituitur regimen diaeteticum sanorum. Vitae vero a norma aberrantis ad eam reductio seu cura fit partim per

res a corpore vivo magis alienas, et inconsuetas id est medicamina, partim per consueta et necessaria potentias, certa ratione modificatas, quarum complexus cura diaetetica seu regimen diaeteticum aegrorum audit. Limites tamen inter medicamenta et res diaeteticas non tam arcte ducti sunt, et pro varia aetate, sexu, temperamento, corporis habitu, vitae genere, consuetudine, una eademque res alteri in necessitatem cessit, alteri medicamento inservit.

Regimen diaeteticum erit igitur morbo respondens mutatio rerum ad statum sanum individui cujusdem necessariarum; comprehendit itaque omnia remotiora vitae et sanitatis momenta, atque in justa moderatione aëris, victus, motus et quietis, somni, cutis culturae, vestitus, lecti, mentis et animi objectorum versabitur.

2.

Hoc ipsum jam, si quis attenta mente perpenderit, facile perspiciet, quanti sit momenti pro medico morbosum hominis statum in sanum mutaturo, remotiorum horum sanitatis momentorum justam habere rationem. Haec enim sunt, quibus cingimur, quae nobis proxima maximeque homogenea sunt, quae ad naturam nostram pertinent; proinde ab his in tractandis morbis plurimum boni expectandum est; tum ex eo, quod illa momenta justo modo dirigendo, ea, quae proxime nocere possent, amoveantur; tum ex eo, quod illis via tutissima et direc-

tissima possimus in hominum aegrum agere, mutationes in illo producendo, quae tum qualitatis, tum modi, quo producuntur, ratione, naturae nostrae adaequatae et summe consentaneae esse debent. Si certum est — quod nemo dubitat — actionem remediorum compositam esse, ex parte, quam remedium ipsum, et ex parte, quam organismus eo affectus contribuit: quis non videt plurimum ab actione diaeteticorum expectandum esse; cum haec sint ille ipsa, quae natura nobis destinavit, ut organismum nostrum continuo mutando et ipsa vicissim ab illo mutata, talem, viribus vitalibus concilient conditionem, quae ad vitam et sanitatem sustentandam requiritur. Quodsi jam consideraverimus, nullam absque vigore virium vitalium salutem esse posse, illum vero usu diaeteticorum organismo nostro amicissimorum, proxime determinari et certissima ratione dirigi: tunc omnino maximam diaeteticis in praxi medica dignitatem concedendam esse, nemo sanus dubitabit.

3.

Priusquam tamen ad utilitatis diaeteticorum in singulis morborum generibus examen accedamus, non superfluum erit, quaedam de pathogenia morborum generali in memoriam revocare. In eorum originem inquirantes, offendimus morbos, qui radicem suam ad ipsum generationis momentum extendunt, et a generante ad genera-

tum transeunt; tum plurimi ex incongruo in rerum externarum cum vita interna conflictu emergunt.

Potentiae externae nocivae vel vitam vehementer adficiunt, ut statim reactione, ejus incitata in morbum erumpat, atque decursu celeriori in pristinum statum tendat; vel magis clandestine et tacite salutem subvertunt, et vitam paulatim a norma deducunt. Quodsi in hoc ultimo casu potentiae nocivae vehementiores in vitam agunt, ejusque reactionem suscitant, vitae jam antea labefactatae effectus in totum morbum ejusque decursum redundare debent. Hanc, qui bene perpenderit, morborum originem, facile intelliget, quid rerum pro vita necessariarum moderatio in sanandis tum morbis haereditariis, tum febrilibus normaliter decurrentibus et anomalis, tum afebrilibus et cachexiis valeat, id quod adhuc clarius elucebit ex his, quae nunc de morbis specialius dicturi sumus.

4.

Quid valeat regimen diaeteticum in febribus seu quid vires vitales sub justo regimine praestare possint, quotidiana experientia nos docet. Febres enim erethicae, quibus simplex orgasmus subest, remota causa nociva et reliquis rite moderatis facillime in sanitatem abeunt. Multi pauperum e gravibus et gravissimis emergunt febribus, qui ullum vidissent medicum, natus solummodo naturae haud obscuros secuti, corpus grave ad quietem reponendo,

frigidum fovendo, animi curas mittendo, cibos saltem duriores abhorrendo, urgentem sitim potu copioso leniendo, verbo regimen vitae conveniens servando. Quam saepe febres rheumaticae et catarrhosae sub hoc regimine cedunt? Sed et iu ipsis vehementioribus febribus, quas medicus curat, gravissimus esset error, auxilium diaetae adhibitae praetervidere, felicemque eventum unice iis, quae pharmacia suppeditavit, tribuere. Febres, quae iu characterem adynamico-nervosum nituntur, ex regimine diaetetico solo sanatae visae sunt; cum enim occurrant plerumque in individuis, ubi vita sensifera adeo exculta est, ut adhuc in leviori gradu nervosis stipantur symptomatibus, medicus cavebit, stimulantibus nervinis reactionem febrilem augere, sed potius regimine diaetatico accommodato et methodo exspectativa sanitatem restituere studebit; idem valet etiam de febribus nervosis, qui inflammationibus aut neglectis, aut methodo antiphlogistica nimis generosa tractatis, superveniunt, ubi medicus per aptum regimen diaeteticum errorem antea commissum reparare poterit. Febres gastricae, ubi sufficiens adest aegri in sordes gastricas reactio sub regimine congruo redeunti facile cedunt sanitati; eaedem in adynamiam vergentes cum statu subinflammatorio tractus intestinalis, nisu in diarrhoeam, vel alvo per remedia purgantia jam diarrhoica, ubi solventia debilitatem augent, stimulantia inflammationem inteudunt, e regimine diaetatico congruo et medicamentis magis indifferentibus medelam hinc inde expectant. Febres putridae primarie evolutae per aptum

diaeteticorum apparatum sat cito senentur; in quibus ad inflammationem adcedentibus et inflammatione adhuc praevalente saepissime remediorum antisepticorum nondum concessorum vices agere debet apparatus diaeteticus.

5.

Inflammationes cum febri activa stipatae regimen diaeteticum cum peculiari respectu ad partem adfectam quam maxime sibi expostulent, et quamvis casus non rari sint, ubi hoc solum ad morbum sanandum contribuerit, tamen therapia antiphlogistica plerumque necessaria erit; totum fere praestat regimen diaeteticum in inflammationibus chronicis, cum hic morbus per continuatum vel saepius iteratum potentiae nocivae influxum sustentatur.

Inflammationibus adfines sunt haemorrhagiae sic dictae activae, febriles, ubi natura medicatrix per profluvium rectum virium et materierum concentum restituere intendit, atque per simplex regimen in conatibus suis optime adjuvatur; si casus excipis, ubi sanguis ex organo emanat, cujus functiones ideo magnopere turbantur, atque ad alium fontem aperiendum artis auxilium implorant.

6.

Febres intermittentes, quae tempore verneli occurrunt, typo tertiano et charactere inflammatorio insigniuntur, quarum paroxysmi per evacuationes criticas rite sol-

vuntur, per abstinentiam ab omnibus nocivis absque malo residuo saepissime terminantur; sed et illae, quae tam quoad typum, quam quoad indolem pertinaciores sunt, etiamsi remediis specificis indigeant, diaete strictissima nunquam carere possunt. Luculentum autem effectum praestant res diaetaticae in febribus hecticis, atque suppuratoriis, quae a Medicina non medelam sed tantum mitigationem et vitae procrastinationem exspectant; hic enim plus materiae organicae destruitur, quam eodem tempore reparari potest; quae cum stimulo lenissimo roborantem effectum producunt medicamenta, irritationem febrilem ideoque consumtionem augent; quae febri et inflammationi locali opponuntur solventia et antiphlogistica materiae organicae et viribus vitalibus aliquid detrahunt; ut igitur medicis praeter regimen diaetaticum strictissime moderatum vix aliquid aliud supersit.

Cutis efflorescentiae, quae specificum characterem induunt, et plerumque infectionis ope ab alio in alium transmigrant, magnopere tum quoad formam et indolem variant; quaedam earum, uti typhus contagiosus, ex natura sua jam periculum minantur atque artis adminiculo cum strictissimo regimine diaetetico indigent; aliae, uti scarlatina, morbilli, variolae, si corpus invadunt hucusque potentiis nocivis minus infractum, decursum definitum per artem minime interrumpendum, absolvunt, simplicia adminicula diaetetica sibi expostulant. Scabies ex infectione orta per munditiam hinc inde penitus tollitur; tinea, crusta lactea, herpes, et reliquae eruptiones cu-

taneae, cum morbi universalis focum quasi exhibeut ex regimine diaetetico stricto et diu conservato tantum radicalem et constantem sanationem haurire possunt.

7.

Ex vasta et lurida cachexiarum classe plures evide quidem auxilia excipiunt pharmaceutica, sed nec illis cednnt, nisi insto fulcitis vitae regimine. Sic hydropicum non ex defectu virium sed ex pigritia morbo propria diu noctuque lectum prementem, in cubili frigido, humido, depresso, sub victu misero, farinaceo, et aqnoso, longo licet eoque diligentissimo excellentissimorum remediorum usu, sive tonico-solventium in genere, sive diureticorum, sudoriferorum, eccoproticorum, hydragogorum in specie nullus medicorum salvabit; sic puerum verminosum frustra per menses quibusvis torquebis anthelminticis, nisi vitae regimen adaptaveris, victui farinoso, jura carnium cum vegetabilibus aromaticis carnesque aut naturae jam faciliorls digestionis aut arte tales reditas, substituendo, animum exhilarando, et ad exercitium corporis variis recreationibus invitando. Sic puellam chloroticam sub victu misero vitam sedentariam agentem, eundem parietibus inclusam aërem per plures dies noctesque continuo inspirantem, calamitatibus domesticis pressam, aut ex animi pathemate quodam tacite cum semetipsa certantem nonne ridiculum esset quibusvis sive nervinis sive stimulantibus, sive tonicis nul-

le dictarum circumstantiarum ratione habita curere, tanto magis sanaro velle? Plures vero cachexiarom absque omni medicamine solo regimine conveniente, sive faventibus circumstantiis sive consilio medici adhibito felicissime tolluntur. Sic si obscurum humidumque habitaculum sicco lucidoque permutetur, victui farinaceo, caseoso et aquoso melior cum animali mixtus vegetabilis et spirituosus substituatur; atque sic, emendeto jam magna perte miseriae, locum curarum edacium depasoentisque sollicitudinis almo futurae melioris sortis affulgens spes occupaverit, quae dejectum animum erigat, corporique novas et constantes ad labores exercendos vires instillet: tunc pallidus cachecticus nisi jam longa et gravis morbi vis vitia omni arte majora induxerit organismo, proprimm miserum, quam habet adspectum amittit, color corporis sanus, robur et torositas musculorum restituitur, quod plura leucophlagmatia, hydrope, atrophia, tabe, scorbuto, rhachitide, scrophulis, infarctu, vel obstructionibus viscerum abdominis, indeque variis malis laborantium exempla abunde confirmant. Quod nec aliter fieri posse sana ratio dictat: siquidem contraria contrariorum sint medicamina, pravo vitae regimine in justum mutato, tollitur ipsa causa morbi atque simul sensim ac sensim tantum de effectibus illius detrabitur, ut tandem, hi etiam penitus exstinguantur.

8.

Altiorem adhuc vindicat regimen diaeteticum laudem in curandis nevrosibus, quae maximam partem vexae medicorum sunt, cum in defectu clarae indicationis plerumque nonnisi indirecte posset ars in illas agere, raro felici cum eventu. Quid autem justum vitae regimen valeat in curandis variis adfectionibus soporosis, dolorosis, spasmodicis et convulsivis nemo est, qui nesciat. Apoplexiae jam tentati sub apto vitae regimine felicissime saepe procrastinant novum insultum, quod idem de multis epilepticis valet. Sed ut omnia, quae huc spectant, complectar unius solummodo morbi, qui totam fere familiam morborum de quibus hic sermo est, unicus includit, qui toties pervicax omnibus resistit medicamentis, et toties rebellis, iteratis vicibus caput suum erigit, mentio est facienda — hysterismum intelligo, quem certe nemo sanabit, nisi justa exquisitissimi vitae regiminis ratione habita non solum aërem, corporis exercitium, victumque prudenter determinando, sed etiam quod non raro maximi momenti est, quid in ipsis cordis penetralibus lateat, caute expiscando atque ita curam psychicam justo modo dirigendo.

Retentionum etiam et Profluviorum curam medicamenta nunquam absolvunt, quod diaetetica non raro feliciter praestant, saltem maximum, quod ars possidet, levamen ferunt.

9.

Dignitas regiminis diaetetici evidentissime adparet inde, quod dentur morbi, qui eo ipso, quod raro et rarissime permittant, debiti regiminis observationem insanabiles esse solent. Sic marasmus, quem insane spirituosorum polydipsia inducit, et longa diversorum malorum caterve stipata tabes dorsalis quam Venus in proemium excedentis sive realis, sive imaginariae fidelitatis distribuit, vix non semper vergunt in mortem, atque hoc non ex culpa artis, quippe quae in utroque casu clares largitur indicationes, et optima docet auxilia, non ex culpa medici, sed ex culpa ipsius aegri, quem scilicet dura necessitatis longa consuetudine induota lex tenet, et ad idem vitae genus continuandum cogit, quin pervicax et sane miranda stultitia quibusvis sive moralibus sive physicis cederet argumentis. Idem valet de plurimis aliis morbis, qui e diversis calamitatibus domesticis oriuntur, quas vel detegere ardunm, tollere autem raro est in potestate medici. Ex hac causa e. g. tabes, icterus, scorbutus, hypochondriasis, hysterismus, melancholie, mania, possunt insanabiles evadere.

10.

Dentur alii morbi, ad quos tollendos ars manifestas quidem ostendit indicationes, sed medicus nullum intra

limites artis invenit, quod illis satisfaceret auxilium; hi morbi itaque ex eo unice, quod ars imperfecta sit, in mortem terminantur. Huc pertinent diversa vitia organica viscerum encephali, thoracis et abdominis, sic exulcerationes, concretiones, pseudoorganisationes, effusiones aut collectiones diversae. Attamen in his etiam miseriis curandis haud parum promittit solatii cura diaetetica. Docet enim regulas vitae regiminis, quibus observatis non solum dura sors leniri, sed ipsa vita saepe in longam annorum seriem, fere contra leges ipsius mortalitatis, prolongari potest, quod pluribus confirmetur haemoptoicorum, phthisicorum, tussi sicca chronica, asthmate, et ex peculiari nobiliorum organorum turgore, haemorrhagiis, aliisque tum inflammatoriis tum nervosis secundariis malis laborantium exemplis.

11.

Multum etiam dignitas vitae regiminis exaltatur, eo quod utut plures dentur morbi, in quibus primaria medicamentis laus debeatur, haec tamen sola nunquam sufficient, nisi adaptato vitae regimine suffulciantur; momenta enim vitae regiminis proximum habent in vitam influxum: adeoque illa sunt ante omnia ita dirigenda prauti mutatio, quam in aegro medicamentis producere intendimus, exposcit; secus enim, sive negativo, sive positivo modo peccante vitae regimine aut insufficiens et fere nulla erit, aut vero perfecte elidetur actio medicamento-

rum. Quis ignorat divinam corticis paruviani virtutem febrifugem? sed quis poterit falicem illius usum facere, nisi sub justo vitaa regimine. Quis nescit, quam exactum requiratur regimen diaateticum ad hydrargirosin feliciter instituendam? Nouua magnam famae pertem, qua aquee eoteriae et tharmae superbiunt, regimen diaeteticum sub eorom usu nunquam negligendum, sibi vindicat? et quis posset singulares racensera casus, ubi justum vitaa regimen qualiscunque aegri eut illi edsistentium culpa nou observetum optatam medicamentorum actionem tristi aludit eventu? Si aeger, quem medicus eutiphlogisticis tractat, nec animi, nec corporis quietem coluerit, si verie ingurgiteverit, si refrigerio eut nimio calori eut vicissitudiui eëris sa exposuerit; si quemvis aegrum debilem et prostratum necessarium servitium requisiteeque commoditates ex omni perte defecerint; si illa, qui dormire debet, coutiuuo clamore, strepitu, rixis turbatur; aut contra, si soporosus, cujus omnes seusus excitandi esseut, maxima cum negligentia sibi ipsi relictus fuerit; si his centenisque aliis modis pecaverit regimen diaeteticum, quid tum velehunt lagenae pharmaceuticae? quid mirum, si aeger sub optime optimi medici cure succubuerit? imo debet succumbare, nisi humanis viribus verom praestare liceurit miraculum.

12.

Quodsi varo aatates hominis varias in curendis morbis distingnendo illam, quee maxime inermis, tenerrima

et facillime enihilenda est, infantilem consideraverimus, quid quaeso huic, quae maxime indiget auxilio aetati formulis pharmaceuticis praestabimus? neonati non possunt, reliqui infantes nolunt medicamenta sumere, cogi non possunt; imo adultiores jam si coacti fuerint, quaeritur, quid boni a tali medicamine expectandum, quod non solum recusando, sed revera nauseando sub acerbissima ira, indignatione, odio, verbo sub pessima animi perturbatione ingeritur. Raro certe recipit haec aetas usum medicamentorum, an tamen propterea, seu omni destituta auxilio suofato relinquenda? coacti fere recurrimus ad diaeteticа; sed quam felices, si haec justo modo dirigere noverimus! his scilicet flexilis natura plerumque libenter obedit; nec quisquam negabit, mutatione alimenti, aëris, vestitus, lecti, corporis motu adcommodato, animi recreatione, balneis, aliisque, quae diaetetica sunt, plures easque saepe graves infantum morbos feliciter deviuci. Alterum, quae aetatis humanae constituit extremum senectus, quae ipsa jam morbus est, quam parum e medicamentis sperare queat, et quantum in justo vitae regimine soletium inveniet, tam clarum est, ut sola mentione omnis ulterior argumentorum collectio superflua reddatur.

13.

At qualiscunque fuerit aegri conditio morbi indoles et invasio illa ipsa non excepta, quae uno fere ictu deje-

cit sanitatem, scimus, nullum morbum directe, sed nonnisi certo stadio, quo perfecta vitae integritas restituatur, absoluto transire posse in sanitatem. Si quem jam non latuerit, quantum cura hujus stadii reconvalescentiae medici prudentiam requirat, quidque ea ad veram medici virtutem contribuat, ille pro certo non ignorabit, quiduam ad faustam reconvalescentiae curam justus diaeteticorum usus conferat. Jactura virium et organismi, quam plus minus omnis morbus post se relinquit, absque conveniente diaeta, nunquam resarcitur; mutata vero illa organismi conditio, aliter modificatum, propriumque requirit diaeteticorum usum, contra quem quanto cum damno peccetur, recidivi ipso morbo plerumque graviores imo saepe lethales haud raris confirmant exemplis.

14.

Et historia ad profundissimam usque penetrans antiquitatem docet, genus humanum, dum variis laboraret malis, ad remedia quaerenda necessitate coactum praeter usum pancissimorum vel instinctu, vel fortuito vel peculiari credulitate detectorum remediorum, praeter diversas ceremonias superstitiosas in cultu Deorum, in certis recitationibus etc. etiam stricta praeceptorum diaeteticorum observatione suis miseriis succurrere voluisse in Templis Sanitatis in Graecia et multo serius Romae in honorem Deorum, qui morbos mittere, et adimere

hominibus credebantur, aedificatis, in quibus sacerdotes medicinam exercuerunt, remedia, quibus aegri suscepti dum praeparabantur, dum curabantur, praeter diversas ceremonias et lodiora superstitiosa sacerdotum maximam partem in baloeis, frictionibus, inunctionibus, musica et caotu, victuque tenuissimo, imo plenaria retiooe certorum ciborum abstinentia cousistebaot, quibus jam in defectu omois theoriae medicae non panci sanabaotur.

Asclepiadae et universim omnes medici ante Hippocratem huicque coaevi principem io sua methodo medendi locum certis praeceptis diaeteticis concessarunt. Inprimis autem maximo Hippocrati summo cedit honori, regulas diaeteticas noo solum ulterius elaborassa, sed illarum etiam io sua therapia singularem semper rationem habnisse. Docuit eoim, naturam devincere morbos, illos igitur salutares operationes, auxiliis diaeteticis optimo, quo fieri potest, modo promovendas, et nequaquam turbandas esse. Io acutis suasit victum tenuissimum, abstineotiam a cibo et potum copiosum refrigerantiom, de quibus ptisana ejus, hydromel et oxymel simplex ad oostrum usque tempus suas defendunt laudes. Interim vires aegri attentissime observandas, labentibusque victu exquisito succurrendum essa docuit; dedit etiam de usu aquae, lactis et vini, de motu et quiete corporis regulas, quibus noo minus quam in genere ex eo, quod contraria contrariorum remedia essa docuerit, evidentissime apparet, Hippocratem jam non latuisse, ooo omne, quod mor-

bis medetur, a pharmacopolis esse, eundemque illum, de quo hic agitur, auxiliorum medicorum fontem, minime ignorasse. Quid plus? ipsi suae jurisjurandae formulae inseruit orticulum „victus rationem aegris praescribam, facultati et judicio meo commodam ab omni noxa et injuria alienam." Apud A. C. Celsum, qui in genere medicamentis uti nisi in vehementibus malis supervacnum esse dixit, elegantissimae inveniuntur regulae diaeteticae. „Medicamentorum" ait „usum ex magna parte Asclepiades non sine rationa sustulit, ut cum omnia fere stomachum laedant, malique succi sint, ad ipsins victus rationem potius omnem suam curam transtulit. Verum ut illud in plerisque morbis utilius est: sic multa admodum corporibus nostris incidere consneverunt, quaa sine medicaminibus ad sanitatem pervenira non possunt. Illud ante omnia scire convenit, quod omnes medicinae partes ita connexae sint, ut ex toto separari non possint; sed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo ut illa, quae victu curat, aliquando medicamenta adhibet: sic illa, quae praecipua medicamentis pugnat, adhibere etiam victus rationem debet, quae multum admodum in omnibus malis corporis proficit."

Medici serioris aevi avorum vestigia secuti nunquam neglexerunt auxilia diaetetica, imo fere nlterius progressi sunt, tantum fiduciae in diaetetica ponendo, ut omnem fare laudem morbo sanandi his unice tribuerent, parum ab ipsis medicamentis exspectentes. Inde ortae sunt illimitatae laudes curarum vernalium cum succis recenter

pressis vegetabilium, cum lacte, sero lactis varia methodo parando, cum decoctis sanguinem purificantibus, edulcorantibus affatim per menses sumendis, curarum porro rusticatione, balneis, thermis etc. instituendarum. Omnes scholae medicae, quarum opiniones de effectibus medicamentorum et quarum morbos curandi methodi admodum diversae, imo hinc inde ex diametro oppositae erant, unisonae tamen et necessitatem et dignitatem regiminis diaetetici praedicaverunt; quae dignitas non exiguum ex eo capit incrementum, quod morbi quamvis ex diversis principiis tractati, fausta ratione terminabantur, dummodo regimen diaetetioum neglectum non fuerit. Cum vero nullum datur malum, quod non aliquid boni ex sinu suo excludat, sic et Homoeopathia, quae ex una parte confusionem in re medica adauxit, ex altera parte summam regiminis diaetetici in curandis morbis efficaciam luce clariorem ostendit. Id quod facile intelliget ille, qui, perpendens regimen diaetoticum necessariam et quasi primariam hujus doctrinae partem officere, atque ex millesima millesimae medicaminis partis parte vitam mutationem sensibus percipiendam, experiri non posse, felices successus, quibus non raro coronatur, miratus est.

15.

Ex his simul sumtis clare patet quam male esset et medicis et generi humano, consultum si nulla praeter illa, quae

a pharmacopaeo petimus, haberemus auxilia. Patet porro auxilia diaetetica supremam in morbis tractandis dafendera dignitatam: tum ex eo, quod in multis sanandis, in multis aliis saltam curandis; primaria pharmaceuticis nunquam supplenda, sed nonnisi adjuvanda, aut varo saepa par sa jam sufficientia sint auxilia; tum ax eo, quod in omnibus reliquis morbis, in quibus debellandis principem sibi laudem vindicant medicamenta, horum nunquam impune negligenda sistunt adjuvantia; tum ex eo, quod methodus exspectativa magni aestimauda, nec non cura infautum praa caeteris gravissima, sicuti qui sub reconvalescentia instituuntur medicinae conatus, in iis potissimum radicantur: tum ax eo, quod a primis temporibus ad praesentem usque diem sub diversissimis medicinae turbis ac fatibus gloriam suam ab omni laba immunem salvaverint. Pharmaca itaque utut saucta sua jura non violandasque suas defendant laudes: quis tamen non videt illa jura laudesque non esse ita propria, ita independentas, ac diaeteticorum; cum pharmaca nonnisi in justo cum diaeteticis connubio voto satisfacere queant? quid igitur de medico sentiendum, qui formulam, quam scribit pharmaceuticam omne id, quod morbo opponendum essat, complecti credens illa unica morbum debellara adfectat? aut qui ab aegro, si quando discipulus magistro plus sapuerit, de quibusdam saltem vitae regiminis momentis interrogatus frigide aut inepte aut ambigue respondet? Ex his omnibus igitur concludendum: ragimen diaeteticum summa medicorum attentione dignum esse, tum

ratione aegri, cum tam arctus sit inter illud et inter salutem aegri nexus, ut haec certo respectu semper ab illo dependeat, tum ratione ipsius medici, cum hoc ponat fundamentum omnis illius virtutis ita quidem, ut his auxiliis neglectis aut perverse adhibitis eximiae cujusvis diligentiae, eruditionis et experientiae omnis laus inutilis corruat et penitus aboliatur.

THESES.

I.

Anatomia Chirurgo magis quam Medico necessaria; eadem vero carere poterit neuter.

II.

Praeter vasa lymphatica alia adhuc ex digestionis officina ad sanguinem via ducit.

III.

Nulla concipi potest affectio, quae primario et separatim ent in partibus solidis aut in fluidis solis existeret.

IV.

Remediorum solventium actio a solo stimulo derivari nequit.

V.

Paucissimos neonatorum morbos valet ars sanare; sed plurimi illorum possent emendatis regiminis diaetetici vitiis praecaveri.

VI.

Datur debilitas, quae antiphlogisticis tollitur.

VII.

In nonnullis casibus medicus cunctatorem agat, oportet.

VIII.

Cura symptomatica maximi est momenti in praxi.

IX.

Non omnes nevroses remediis Nervinis tractandae sunt.

X.

Natura per se saepe, ars per se nunquam sanabit morbum.

XI.

Restitutio artis gymnasticae summa optabilis esset pro salute publica.

XII.

Captatio curiosorum non ultimam sistit caussam tardi medicinae progressus.

